

xiv

EPISTOLA DEDICATORIA.

*minarii parte assignavi, ut quo tempore a Missionibus vacant, adolescentes sacro ministerio dedicatos ad pietatem Deique cultum assidue erudiant. Sanctimoniales Salesianas in ampla & populosa Valle Camunnica, quae ad mea usque tempora Virginalis Cænobii solatio caruit, stabilivi, difficultatibus illis minime absterritis, quae Decessores meos arcuerant, ne magna pecuniae summa ad hoc opus legata uterentur; cumque paucis ab hinc mensibus eam Vallem sacra Visitatione usque ad extremitates Rhaetiae ac Germaniae conterminas perlustrarem, satis uberem longi atque asperrimi itineris fructum vel ex hoc retulisse mihi visus sum, quod Monasterium illud recte atque ordine institutum repererim: indeque jucundissima voluptate perfusus, eidem illico cessi atque sacravi annum proventum, quem ea regio, utpote Brixienfis Episcopi Ducatus, mihi in posterum de more esset allatura, opportune occurrentibus memoriae meae Nehemiae verbis, quae cap. 5. lib. 2. Esdrae leguntur, Annonas, quae Ducibus debebantur, non comedimus, Annonas Ducatus mei non quaesivi. Haec omnia BEATISSIME PATER, forti a me, ut superius dicebam, animo suscepta, quamvis vires meas, quod plerique omnes fatentur, exsuperent, fidentius adhuc persequare, si Ipse, supremus in terris Pastor, villicationis meae rationem Tuo probaveris oraculo, ac praeterea caelestis opis auspiciis & pignus Apostolicam Benedictionem impertiaris, quam flexis genibus deosco, & SANCTITATIS VESTRAE Pedes deosculor.*